



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Discursus XLIV. Corona Caelitum. Superat, & excedit omnes Sanctos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS XLIV.

Maria Corona Cœlitum.

Exordium.

SAncti Angeli Mariæ ingressum in cœli atrium intui, eam electam ut solem deprædicant: *Qua est ista, qua progreditur, electa ut sol.* Cantic. cap. 6. Cur B. V. Maria soli comparatur, plurimæ rationes in hoc opere datæ sunt, pro coronide & sequentem adnecto, mutatus è celebri symbolyta: qui soli in medio reliquorum siderum radianti, inscripsit lemma: *Universa superat astra.* omnia sidera, lunam, stellas suo jubare sol vincit, & superat; ut exinde sol, meritò rex, & corona siderum, & planetarum valeat intitulari. De Sanctis & electis cœli incolis, scribit Daniel cap. 12. *Fulgebunt quasi splendor firmamenti. &c. & quasi stella in perpetuas æternitates;* Inter hæc sidera, Sanctos mirè splendentes, ac radiantes Maria sol est, omnes Sanctos in gratia, gloria, & honore, in meritis, & prærogativis longè vincens, & superans; subscribo lemma: *Universos superat sanctos.* hinc Cœlitum Regina, & corona: Ita plamet testata est Eccles. cap. 24. *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Audiamus Patres: *Ceteris per partes præstat, Maria verò se tota plenitudo gratiæ infudit.* S. Hieronymus Tract. 9.

Ss. Patres.

S Hieronymus.

Idiota.

S. Damianus.

Epist. 10. ad Paulam. Gratia, qua Sanctis sunt data, Maria non sunt denegata, sed omnium Sanctorum præcilegia in se congregavit, nullus Maria par est, excepto Deo nullus Mariâ major est. scribit doctissimus Idiota c. 2. num. 1. *Maria sol est, qui splendore & lumine gratiarum ac donorum omnes stellas, sanctos nempe, imò Angelos Dæi in cœlo, superat, & excedit;* S. Damianus, ferm. de Nativitate. Et iterum: *Attende Seraphin, & in illius superioris naturæ pervola dignitatem, & videbis, quidquid majus est, minus esse Virgine, solùmque opificem opus illud supergratiâ.*

gredi. conformiter S. Bernardus ferm. 1. de Assumpt. *Ipsa* S. Bernardus.
 namq; Cherubinos superans, & supra Seraphinos erecta, propin-
 qua Deo existit, ô miraculum miraculorum omnium! maximè
 novum, Mulier Seraphinis sublimior effecta est. O Virgo! vir-
 ga sublimis, in quem sublimem verticem caput sanctorum erigis,
 usque ad sedentem in throno, usque ad Dominium majestatis.
 S. Germanus inquit ferm. 1. de Nativ. Maria super caput S. Germanus,
 sanctorum locata est, tu es honor honorantium, premium pra-
 miorum, & altitudo altitudinum. Maria grandis animo in-
 gratia, & gloria, ita ut nullus Angelus, nullus sanctorum ei
 equari possit in multitudine, & congregatione bonorum cœlestium,
 juxta illud Proverb. Multa filia congregaverunt divitias, tu
 supergressa es universas. Si filias istas intelligimus sanctas ani-
 mas, vel intelligentias angelicas; nunquid non supergressa est
 divitias Virginum, Confessorum, Martyrum, Apostolorum, Pa-
 triarcharum, Prophetarum, & Angelorum, cum sit illa, Pri-
 mitiva Virginum, Speculum Confessorum, Rosa Martyrum, Re-
 gistrum Apostolorum, Oraculum Prophetarum, Regina Angelo-
 rum. perorat S. Bonaventura Orat. 1. de Nativitate. de super S. Bonaven-
 Conceptus audiamus. tura.

CONCEPTUS I.

Omnia flumina intrant in mare, docet Salomon Eccles.
 cap. 1. Exinde quia omnia flumina in mare intrant, mare *Confirma-*
 merito regina aquarum intitulatur. Christus salvator noster *tio, seu De-*
 gratias S. Spiritus, & cœli dona, aquis comparare dignatus *ductio.*
 est, Joan. cap. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non*
sitiet in aeternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae
salientis in vitam aeternam. Non erravero si Sanctos Dei flu-
 vios dixero, in quos Deus aquas gratiarum abundè effudit;
 Mariam intitulant SS. Patres mare, in quod omnes aquæ gra-
 tiarum S. Spiritus, & donorum Dei confluerunt: *Ceteris*
per partes praestat, Maria verò se tota plenitudo gratiae infudit.
 scribit S. Hieronymus. In Maria splendet innocentia Abe-
 lis,

lis, justitia Noë, fides Abrahæ, obedientia Isaaci, constantia Jacobi, castitas Josephi, mansuetudo Moyfis, patientia Jobi, modestia Ruth, magnanimitas Judith, prudentia Abigail, pietas Esther, humanitas Marthæ, contemplatio Magdalenz, Zelus Petri, fervor Pauli, charitas Joannis, sapientia Catharinæ, virginitas Agnetis; competenter dictis Salomonis Prov. 31. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es univasas. Si nunc mare ideo regina & corona fluminum atque aquarum, quia omnes fluvii in illud influunt, Maria meritò Regina, & corona cœlitum est, in quam omnes Dei gratiæ congregatæ existunt.

CONCEPTUS II.

Victum se fatetur Angelus, dum aurora progressa esset: *Dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Genes. cap. 32. Aurora est Maria, testimonio angelico: Cant. cap. 6. *Qua est ista, que progreditur quasi aurora?* Desuper Rupertus Abbas in cap. 6. Canticorum: *Tunc vera nobis aurora surrexit, quia sicut aurora finis est præterita noctis, & initium diei sequentis, sic natiuitas tua Virgo finis dolorum, & consolationis fuit initium.* Fatetur nunc Angelus se victum ad auroram: Victum, inquam, gratiâ & gloriâ, victum excellentiâ & prærogativâ à B. Virgine Maria, audiamus S. Martinum in vita Deip. *Majorem gloriam MARIA sola habet, quam omnes sancti simul sumpti. Quidquid honorificum, ac excellens in sanctis Dei reperitur, superabundat in Maria.* inquit S. Laurentius Justinianus. ergo Cœlitum est Corona.

CONCEPTUS. III.

Comparare mihi licet S. Angelos, & choros sanctorum dulci musicæ & concertui, experientiâ nunc teste, in testudine semper chordas duas pares & æquales esse, duas quintas, duas tertias, chorda prima sola, & unica est, parem, & æqualem

lem non habet: dulcisonæ tertiæ, in testudine cœlestis harmoniæ sunt Apostoli, & horum sunt duodecim, dulcisonæ quintæ sunt Virgines, & harum multa millia, dulcisonæ chordæ sunt Confessores, & sine numero; Maria prima est, æqualem, & similem non habet in gratia, & gloria: ita dilectus in Cant. cap. 6. *Una est columba mea, perfecta mea.* Desuper Rupertus Abbas: *Una est, quia nec inter Angelos, minus inter homines sibi parem habet.* Optimè Andreas Carnotensis tractatù 6. de Laud. B. V. *A denominatione & potentiâ Filii, Mater non potest esse sejuncta, una est Maria & Christi caro, unus spiritus, una caro, & ex quo dictum est ei: Dominus tecum, in separabiliter promissum & donum. &c. Filii gloriam cum Matre, non tam communem judico, quàm eandem.*

CONCEPTUS IV.

Isaias inquit cap. 2. *Et erit in novissimis diebus preparatus mons, domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles.* S. Augustinus in Psalm. 67. *Per hunc montem S. Virginem Mariam intelligit: per colles S. Hieronymus in cap. 5. Ezechielis, intelligit cætum Patriarcharum, & Prophetarum veteris legis, S. Ambrosius in Psalm. 18. per colles intelligit congregationem SS. Apostolorum.* Bernardus in Cantica serm. 35. *per colles intelligit novem choros Angelorum, & sanctorum; hic mons Maria in vertice montium, in apice collium collocatus, existit, inquit Isaias, & dicere vult; ubi cæteri Sancti in gloria & honore finem faciunt, Maria incipit, initium ac basim figit, in gratiâ, in gloriâ, ac meritis cunctos sanctos supergreditur.* *Inter montes Maria altissimus est super omnes choros Angelorum usque ad thronum Dei exaltata, concludit S. Gregorius in cap. 1. Regum. Sicut benedictus JESUS sedet à dextris Patris, id est, in potioribus bonis paternis, sic Virgo gloriosa, in potioribus bonis Filij sui JESU juxta ipsum in throno sublimata est docet S. Bernardinus Tom. 3. serm. 11. art. 11. Tantâ ante Deum sanctitate secundaris, ut sola solio*

folio Regis eterni immediatè approximare merueris. S. Bernardus
in deprecat. B. V.

CONCEPTUS V.

Qui proximior soli adstat, magis illustratur, magis incallescit: Soli iustitiæ, qui Christus JESUS est, propinquissima adstat, V. Maria. *Astitit regina à dextris tuis. Pl. 44.* Est nunc illustratus Cherubinus, inflammatus Seraphinus, clarior luces in sanctitate, vehementior ardet in charitate; S. Maria inquit S. Augustinus serm. de Annunt. *Si oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, quæ præparavit Deus diligentibus se, quid præparavit gignenti se, & quod certum est præ omnibus diligentibus.* scribit S. Bernardus serm. 1. de Assumpt. & S. Petrus Damianus serm. de Nativ. *Virgo regalis ad thronum Dei Patris evehitur, & in ipsius Trinitatis sede reposita, naturam angelicam sollicitat ad videndum.* Ergo merito Cælitum Corona est V. Maria.

*Prolem divinam, nunc, sanctorumq; Reginam
Laudibus attolat, lingua per æva colat.
Sanctis à te mari, rogo supplex, associari,
Qui sum terra, cinis, sis o MARIA FINIS.*

IesVfaLVatorI, Mariæ Del genIrl-
Cl, Iosepho sponso V Irglnls,
& nVtrltlo
Collegi: Paderborni se 9222 8222
VoVet aVthor.

Anno 1783